SOLEMNIA

IN

ILLVSTRI RVTHENEO

DIE IV. IANUAR. ANNI MDCCCXLVII.

RITE CELEBRANDA

INDICIT

PHILIPPVS MAYER

THEOL. ET PHIL. D. PROF. ELOQ.

Quaestionum Homericarum Part. IV.
in qua agitur de Verbi φράζειν vi atque significatione.

GERAE

EX TYPOGRAPHIA AULICA.

47

Qui primus, quid de veteribus Homericorum carminum recensionibus et interpretationibus existimandum esset, doctissime exposuit, Frid. Aug. Wolfius, vir summus atque unus maximis in Homerum meritis praecellens, ab eo dolemus de Aristarcho Grammatico ita disputatum esse, ut quum magnam illi principi Alexandrinorum grammaticae subtilitatis tribueret laudem, tamen minus feliciter eum in explicandi emendandique arte versatum esse judicaret. 1) Nam inde factum opinamur, ut alii quidam homines docti, qui post Wolfium de Aristarcho judicia fecerunt, justo iniquius de ejus explicationibus et emendationibus statuerent. In quod iniquitatis vitium incidit imprimis Phil. Buttmannus, vir alioquin excellentissimi judicii, cujus sententiam si sequi per veritatis rationem liceret, ille Alexandrinus non modo mediocris Homeri interpres, sed indoctus ac paene insulsus homo fuisse censendus esset. 2) At longe aliter de ea re existimavit Lehrsius, qui, ut demonstraret, quantum Aristarchus ingenio, eruditione, diligentia valuisset, adhibita religiosissime veterum

---

1) In celebratissimis illis Prolegomenis ad Hom. p. 197—280. Pertinent huc inprimis, quae p. 245. 247. et 248—252. disseruntur.

Apud antiquos viros doctos, maxime apud eos, qui aequales ei fuerunt, quanta Aristarchus floruerit auctoritate, patet vel ex multis Scholiorum locis, ubi Grammatici ab ejus disciplina profecti errare cum illo, quam cum ceteris vera sentire se malle ingenue profitentur, vel ex immensis illis laudibus, quas Panaetius philosophus et Sext. Empir. ei impertiunt. cf. Panaet. ap. Athen. XIV. p. 634. C. et Sext. Emp. c. Math. IX. 110. — Apud Latinos quoque magnam Aristarcheae doctrinae et artis fuisse laudem, testantur loci aliquot in Horat. Art. poet. v. 450. et in Cic. Epp. ad Attic. 1, 14. ad Fam. 3, 11. 9, 10. Orat. in Pis. 30. cf. Senec. Epist. 88.

2) Buttmannus quid de Aristarcho statueret, non declaravit nisi quasi praeteriens. Cf. Gr. Gr. ampl. §. 110. A. 13. Lexilog. I. p. 133. 227. 247. Vid. Bernhardy *Grundriss der Griech. Lit. Zweiter Theil.* p. 111.

Scholiorum tanquam testium fide atque auctoritate de studiis ejus Homericis singulari libro copiose ac subtiliter exposuit. Continetur Lehrsii liber dissertationibus quinque. Quarum in secunda et tertia quum de interpretandi arte Aristarchea ita vir doctissimus disseruerit, ut, quid ante veterem Grammaticum in Homericorum vocabulorum explicatione praestitum videretur et quid ipse praestitisset, larga exemplorum copia declararet: nos quum totum egregium librum studuimus cognoscere, tum hanc, quam diximus, partem diligentissime pervestigavimus. 3) In qua re cum ipso Homero Aristarcheas explanationes eo consilio comparavimus, ut, illum interpretem Homericorum testem et auctorem unum Homerum habuisse omniaque ad propriam poetae virtutem expendisse, recte num Lehrsius contenderet, certissima ratione perspiceremus. Quo comparandi studio et labore quid videamur assecuti esse, placet, redeunte hac anniversaria scribendi opportunitate, exemplo demonstrare. Quum enim saepe Aristarchum fecisse videamus, ut non tam quid significarent vocabula doceret, quam quid non significarent, ex ejusmodi interpretationibus unam in medium proferamus Verbi φράζειν, in quod et propter virorum doctorum discrepantiam, et quia accurata hujus vocabuli explicatio ad solvendas vel certe adjuvandas quasdam quaestiones criticas plurimum facere videtur, non inutiliter nos inquisituros esse arbitramur. 4) Quam rem ut apte et convenienter pertractemus, primum et Ari-

---

3) Inscribitur liber De Aristarchi studiis Homericis. Spectant huc, quae p. 18. 34. 36. 39. 63. 85. 143. 148. 160. 166. 335. aliisque locis permultis, maxime in Dissert. IV. Cap. II. de Aristarchi incomparabili diligentia, sollerti ingenio, consummata paene arte et ratione ceterisque virtutibus Lehrsius disputat. Contra Wolfium vir doctissimus quum aliis locis tum p. 67—68. p. 353. 360—362. 364. 372—375. Aristarchum graviter ac fortiter defendit; Buttmannum haud raro quidem, sed breviter refellit, veluti p. 80. 84—85. 94. 97. 165.

4) Quaerenti quomodo sit factum, ut ad id, quod volebamus, demonstrandum, hujus potissimum vocis explicatione uteremur, hoc respondendum videtur. Quum tempus venisset, quo de commentatione aliqua cogitandum nobis erat, qua, quae instabant, Solemnia scholae nostrae anniversaria indicerentur, in animo habuimus, de eo vocabulorum Homericorum genere disputare, quae communem dicendi significationem habent. Sed postquam aggressi opus sumus, adparuit, rem latius patere, quam quae terminis tali scriptioni praefinitis contineri posset. Qua re mutato consilio Verbum φράζειν, quod in illorum Verborum numerum referri solet, seorsum tractare eo satius duximus, quod hujus Verbi explanatione, quae nostra esset de Aristarchea interpretandi ratione sententia, declarare nos posse sperabamus.

starchi aliorumque veterum Grammaticorum placita et recentiorum interpretum opiniones breviter recenseamus, deinde ea, quae ab utrisque hac de re disputata videmus, cum ipsis locis Homericis conferamus, judicio nostro interposito.

Ab illo ipso igitur libro, qui aditum ac viam nobis ad cognoscendas Aristarchi interpretationes munivit, ut disputationem nostram ordiamur, haec ibi p. 93. leguntur:

Φράζω nunquam est dico, sed indico.

Apoll. Lex. Hom. p. 658.

πῶς κ' ἔοι, εἴ τις νῶϊ θεῶν αἰειγενετάων
εὕδοντ' ἀθρήσειε, θεοῖσι δὲ πᾶσι μετελθὼν
πεφράδοι; (Ξ, 335.)

πεφράδοι, διασημάνειε· ὁ δὲ Ἀπίων ἂν εἴποι, τοῦ Ἀριστάρχου σεσημειωμένου, ὅτι τὸ φράσαι οὐδέποτε ἐπὶ τοῦ εἰπεῖν τάσσεται. Id. p. 840. οὐδέποτε τοῦ ποιητοῦ ἐπὶ τοῦ εἰπεῖν τάσσοντος τὴν λέξιν· διόπερ Ἀρίσταρχος ἐν τῇ Ξ τῆς Ἰλίαδος ἠθέτησε. Significat Ξ, 500:

— — ὁ δὲ φῆ κώδειαν ἀνασχών,
πέφραδέ τε Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα.

Hoc si cum scholiis et Eustathio conferas, scimus de Aristarcho, versum πέφραδε — obelo notatum esse certissimo argumento, quod hic usus verbi φράζειν ab Homero plane abhorreret. Buttmannum (Lexil. I. p. 236.) de his versibus et de veterum interpretatione disputasse, cum nec Aristarchi observationem de voce φράζειν nec ejus athetesin nosset, non fidem haberemus referenti, sed „qui vident plane sciunt.“ — Totum pervolvas Homerum, nusquam dixit πέφραδε Τρώεσσι vel ἐν Τρ. pro εἶπε, ἀγορήσατο, μετηύδε sim. Ubique, quod recte et subtiliter Aristarchus observavit, φράζειν significat indicare (*anzeigen* 5). — Haec Lehrsius. Eandem fere sententiam jam ante Lehrsium in annotat. ad Od. θ, 142. protulerat Nitzschius (***Erkl. Anmerkungen zu Homer's Od. Zweiter Band. S.*** 183.), quem tamen in eo Lehrsius censet erravisse, quod hunc versum opinetur maxime propter absonam vocabuli φράζειν significationem ab Aristarcho et Aristophane et Zenodoto expunctum esse; qua de re ita vir doctissimus dissentit, ut neque Aristophanem neque Zenodotum ad vim ejus vocabuli attendisse existimet.

---

5) Vellemus alia quadam voce aptiore ad hanc vim significandam vir doct. usus esset; nam indicare, si optimi cujusque scriptoris usum spectas, eorum est, qui aliquam rem occultam, maxime scelestam, ad eos deferunt, quorum interesse debet cognoscere.

Scholiorum tanquam testium fide atque auctoritate de studiis ejus Homericis singulari libro copiose ac subtiliter exposuit. Continetur Lehrsii liber dissertationibus quinque. Quarum in secunda et tertia quum de interpretandi arte Aristarchea ita vir doctissimus disseruerit, ut, quid ante veterem Grammaticum in Homericorum vocabulorum explicatione praestitum videretur et quid ipse praestitisset, larga exemplorum copia declararet: nos quum totum egregium librum studuimus cognoscere, tum hanc, quam diximus, partem diligentissime pervestigavimus. 3) In qua re cum ipso Homero Aristarcheas explanationes eo consilio comparavimus, ut, illum interpretem Homericorum testem et auctorem unum Homerum habuisse omniaque ad propriam poetae virtutem expendisse, recte num Lehrsius contenderet, certissima ratione perspiceremus. Quo comparandi studio et labore quid videamur asseculi esse, placet, redeunte hac anniversaria scribendi opportunitate, exemplo demonstrare. Quum enim saepe Aristarchum fecisse videamus, ut non tam quid significarent vocabula doceret, quam quid non significarent, ex ejusmodi interpretationibus unam in medium proferamus Verbi φράζειν, in quod et propter virorum doctorum discrepantiam, et quia accurata hujus vocabuli explicatio ad solvendas vel certe adjuvandas quasdam quaestiones criticas plurimum facere videtur, non inutiliter nos inquisituros esse arbitramur. 4) Quam rem ut apte et convenienter pertractemus, primum et Ari-

---

3) Inscribitur liber De Aristarchi studiis Homericis. Spectant huc, quae p. 18. 54. 56. 59. 63. 85. 143. 148. 160. 166. 355. aliisque locis permultis, maxime in Dissert. IV. Cap. II. de Aristarchi incomparabili diligentia, sollerti ingenio, consummata paene arte et ratione ceterisque virtutibus Lehrsius disputat. Contra Wolfium vir doctissimus quum aliis locis tum p. 67—68. p. 353. 360—362. 364. 372—375. Aristarchum graviter ac fortiter defendit; Buttmannum haud raro quidem, sed breviter refellit, veluti p. 80. 84—85. 94. 97. 163.

4) Quaerenti quomodo sit factum, ut ad id, quod volebamus, demonstrandum, hujus potissimum vocis explicatione uteremur, hoc respondendum videtur. Quum tempus venisset, quo de commentatione aliqua cogitandum nobis erat, qua, quae instabant, Solemnia scholae nostrae anniversaria indicerentur, in animo habuimus, de eo vocabulorum Homericorum genere disputare, quae communem dicendi significationem habent. Sed postquam aggressi opus sumus, adparuit, rem latius patere, quam quae terminis tali scriptioni praefinitis contineri posset. Qua re mutato consilio Verbum φράζειν, quod in illorum Verborum numerum referri solet, seorsum tractare eo satius duximus, quod hujus Verbi explanatione, quae nostra esset de Aristarchea interpretandi ratione sententia, declarare nos posse sperabamus.

starchi aliorumque veterum Grammaticorum placita et recentiorum interpretum opiniones breviter recenseamus, deinde ea, quae ab utrisque hac de re disputata videmus, cum ipsis locis Homericis conferamus, judicio nostro interposito.

Ab illo ipso igitur libro, qui aditum ac viam nobis ad cognoscendas Aristarchi interpretationes munivit, ut disputationem nostram ordiamur, haec ibi p. 93. leguntur:

Φράζω nunquam est dico, sed indico.

Apoll. Lex. Hom. p. 658.

πῶς κ' ἔοι, εἴ τις νῶϊ θεῶν αἰειγενετάων
εὕδοντ' ἀθρήσειε, θεοῖσι δὲ πᾶσι μετελθὼν
πεφράδοι; (Ξ, 335.)

πεφράδοι, διασημάνειε· ὁ δὲ Ἀπίων ἂν εἴποι, τοῦ Ἀριστάρχου σεσημειωμένου, ὅτι τὸ φράσαι οὐδέποτε ἐπὶ τοῦ εἰπεῖν τάσσεται. Id. p. 840. *οὐδέποτε τοῦ ποιητοῦ ἐπὶ τοῦ εἰπεῖν τάσσοντος τὴν λέξιν· διόπερ Ἀρίσταρχος ἐν τῇ Ξ τῆς Ἰλίαδος ἠθέτησε.* Significat Ξ, 500:

— — *ὁ δὲ φῆ κώδειαν ἀνασχών,*
πέφραδέ τε Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα.

Hoc si cum scholiis et Eustathio conferas, scimus de Aristarcho, versum *πέφραδε* — obelo notatum esse certissimo argumento, quod hic usus verbi *φράζειν* ab Homero plane abhorreret. Buttmannum (Lexil. I. p. 236.) de his versibus et de veterum interpretatione disputasse, cum nec Aristarchi observationem de voce *φράζειν* nec ejus athetesin nosset, non fidem haberemus referenti, sed „qui vident plane sciunt." — Totum pervolvas Homerum, nusquam dixit *πέφραδε Τρώεσσι* vel *ἐν Τρ.* pro *εἶπε*, *ἀγορήσατο*, *μετηύδε* sim. Ubique, quod recte et subtiliter Aristarchus observavit, *φράζειν* significat indicare (*anzeigen* 5). — Haec Lehrsius. Eandem fere sententiam jam ante Lehrsium in annotat. ad Od. ϑ, 142. protulerat Nitzschius (*Erkl. Anmerkungen zu Homer's Od. Zweiter Band. S.* 183.), quem tamen in eo Lehrsius censet erravisse, quod hunc versum opinetur maxime propter absonam vocabuli *φράζειν* significationem ab Aristarcho et Aristophane et Zenodoto expunctum esse; qua de re ita vir doctissimus dissentit, ut neque Aristophanem neque Zenodotum ad vim ejus vocabuli attendisse existimet.

---

5) Vellemus alia quadam voce aptiore ad hanc vim significandam vir doct. usus esset; nam indicare, si optimi cujusque scriptoris usum spectas, eorum est, qui aliquam rem occultam, maxime scelestam, ad eos deferunt, quorum interesse debet cognoscere.

His virorum doctorum opinionibus album calculum adjicit Spitznerus. Ait enim in Excurs. XXV. ad Il. ξ, 499. p. XXXII. aut tollendum esse versum 500., quod πέφραδε Homericus sermo non admittat, aut hoc Verbum explicandum ἔδειξε sive ostendit. Priorem rationem secutus est vir doctissimus in sua Iliadis editione; nam uncis versum 500. inclusit. In qua re discrepant ab Spitznero G. Hermannus et J. Bekkerus, qui tamen ita inter se ipsos sunt diversi, ut alter praecedentem versum, quocum arctissime v. 500. cohaeret, vocabulo φη Verbi vim tribuens, sic scribat:

— — — — ὁ δὲ φῆ, κώδειαν ἀνασχών,

alter deleto ante κώδειαν inciso eorum sententiae adstipuletur, qui quum φη pro Adverbio sumant, eodem vocis tenore, quem Scholiastae tenent, scribunt φή. Sed ea de re omninoque de v. 499. sensu ac ratione videbimus infra; nunc in explicanda Verbi φράζειν vi et significatione versabimur. In qua definienda non omnes veteres Homeri interpretes ab Aristarchi partibus stetisse, ex iis quidem apparet, quae in Schol. Venet. A., in Scholl. Vict. et Lips. et apud Eustathium de Aristarchi sententia leguntur. Schol. enim Venet. duplicem affert eorum, qui de vv. 499. et 500. suffragia tulerunt, opinionem, unam cum Aristarcho versum 500. rejiciendum esse ideo negantium, quod in more positum sit poetarum, ut plura ejusdem significatus verba conjungant; alteram eorum, qui versum illum, quippe qui molestam habeat tautologiam, spurium esse atque expellendum ex Homero arbitrantur.

Quorum interpretum opiniones tradiderunt Scholl. Vict. et Lips., ii et ipsi Verba φῆ, πέφραδε, ηὔδε ἐκ παραλλήλου dicta esse docent. Eustathius vero tautologiam quidem in horum Verborum copulatione inesse censet, sed quae satis habeat excusationis ab rei, quae enarratur, natura ac ratione. Ex veteribus Lexicographis, Apollonium si exceperis, de quo supra diximus, unus Hesychius, quantum scimus, vocabuli φράζειν usum Homericum significat, vel dicendi vel ostendendi potestatem voci vindicans; habet enim haec: πέφραδεν, εἶπεν, ἐσήμηνεν· πεφράδοι, διασημήνειε, εἴποι. Qui autem nostra aetate Graeca Lexica condiderunt viri docti, ut Dammius, ut Riemerus, ut Passovius, adeo non in Aristarchi eorumque, qui cum eo faciunt, discedunt partes, ut a dicendi notione utpote primaria explanandarum hujus Verbi significationum initium faciant. Doederlinus denique, qui in Synonym. Lat. T. IV. p. 1—14. de eo Latinorum Verborum genere exponit, quibus dicendi significatio communis est, etiam de Graecis quibusdam vocabulis, quae hanc dicendi vim habeant, disputat, Doederlinus igitur, gra-

vissimus harum rerum arbiter: „*Eine griechische Synonymik findet hier ein reiches Feld: ausser φημὶ mit seinen Derivatis φάσκω und πιφαύσκω u. s. w. φράζειν und ἀγορεύειν. — Ich gebe nur Einzelnes.* Hom. Il. XIV., 500.

πέφραδε δὲ Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα.

d. h. er gab den Troern folgendes zu erkennen und liess die Worte hören; denn φράζω, offenbar mit φρήν verwandt, hat als Medium eine transitive Bedeutung, bemerken, erkennen, und als Activum eine causative, nämlich erkennen lassen, bemerklich machen, mit Worten oder auf sonst eine Weise."6) — Videmus igitur, in duo quasi castra homines doctos, qui de Verbi φράζειν usu Homerico certam aliquam sententiam vel significaverunt vel explicaverunt, ita discessisse, ut alteri unam huic vocabulo vim tribuerent ostendendi, alteri praeter eam vim significatum dicendi vel admitterent vel primarium ac principalem esse statuerent.

Quae quum ita sint, operae pretium facturi videmur, si miram hanc doctorum controversiam ita studuerimus dirimere, ut ex ipso Homero omnem dijudicandae ac componendae hujus dissensionis materiam petamus. Quam eandem rationem quum in Homericorum vocabulorum interpretatione ingredi solitus sit Aristarchus, hujus si sequemur exemplum, ipse quid recte, quid secus judicaverit de vocis, in quam inquisituri sumus, vi atque significatione, facillime apparebit. Omisso igitur Verbi φράζειν apud inferiores Homero scriptores usu, quippe

---

6) Eandem sententiam protulit nuper Lobeckius in libro, qui inscribitur ΡΗΜΑΤΙΚΟΝ sive Verborum Graecorum et Nominum Verbalium Technologia. Ait enim V. D. p. 83. „Φράζω παρὰ τὸ φῶ τὸ λέγω πλεονασμῷ τοῦ ρ EM. cujus in vestigia insciens incurrit Wyttenbachius ad Plut. de Aud. Poet. p. 236. Pondus sententiae addit Hesychii glossa Πιφραύσκω πιφάσκω, quod EM. 673, 54. ob eundem pleonasmum adnotavit profectum fortasse a poeta, qui primam verbi πιφαύσκω syllabam sine ejusmodi sustentaculo produci posse diffideret. Sed animum diversum trahit nomen φρήν, cujus dativus doricus φρασί conjunctus cum verbo φρανίζειν i. q. φρενοῦν eam habet cum φράζω similitudinem, ut opinio exsistat utrumque ab obsoleto quodam φράω ortum esse. verbum quidem sic, ut κλάζω a κλάω, κράζω a κράω, βιβάζω a βάω, nomen autem ea ratione, qua γλήν a γλάω." — Harum sententiarum quam Lobeckius proposuit priorem, eam et Eustathius et Dammius (s. v. φράζειν) amplectitur. Diversam ab utraque sententia opinionem tueri studet Theod. Benfey *Griech. Wurzellexicon* T. I. p. 363., quae quum ab originationis via et ratione proficiscatur nondum satis hodie exculta, metuendum est, ne paucorum ferat plausum.

qui minus, quam vulgo credunt, valere nobis quidem ad Homericorum illustrationem videatur, hac in re jam omnem disputationis nostrae operam collocabimus, ut ne unus quidem locus, quo Homerus illam vocem usurpavit, nos fugiat. Quod negotium si diligenter perficiemus, fieri fortasse poterit, ut, collatis inter se locis Homericis omnibus, aut ipsi his certissimis adjuti subsidiis ad liquidum rem perducamus aut certe aliis viam quandam, qua id assequantur, praemuniamus.

Est autem Verbi φράζειν usus Homericus non ita frequens, ut eorum vocabulorum, quibus vel dicendi vim sine ulla dubitatione docti concedunt, vel aperta inest significatio monstrandi. Nam activa hujus Verbi forma, de qua sola hic quaerendum videtur, locis occurrit summum viginti quatuor, et ita quidem, ut, si discesseris a forma Aor. I. ἔφρασε, quae semel reperitur: Od. λ, 22., unus Aor. I. a poeta usurpatus legatur his formis: πέφραδον, ἐπέφραδον, πεφράδοι, πεφραδέειν, πεφραδέμεν, quam rem non idcirco adtingimus, ut, quam accurate computaverimus quamque diligenter observaverimus inani laudis studio ostendamus, sed quia vacillare atque inter se repugnare Grammaticos et Lexicographos videmus de formae ἐπέφραδον usu ac ratione. Dammius enim s. v. ἐπιφράζω: Est (scil. forma ἐπέφραδον), inquit, Aor. 2. act. ab ἐπιφράζω. Possis tamen credere, esse eundem aor. 2. Act. a simplici φράζειν cum augmentis jonicis tribus i. e. praefixa reduplicatione et addito insuper augmento. Sed novam verbi formam πέφράδω, factam a perf. 2. πέφραδα, quod alias Graecis insolens non est, comminisci, non videtur necessarium. Cui Dammii opinioni Thierschius assentitur, qui in *Gr. Gr.* §. 232. 156. „*Ohne Reduplication ist nur* ἔφραδε, *zu dem* ἐπέφραδε Od. ϑ, 68. ἐπέφραδον Il. κ, 127. kommt, wo ἐπιφρασσαίμεϑα Il. ν, 741. *zeigt, dass jene Formen vom* Compositum ἐπιφράζω *kommen und nicht* ἐ—πέ—φραδε, *wie* ἔπεφνε *aufzulösen sind.*“ 7) Contra Buttmannus in ampl. *Gr. Gr.* Vol. II. P. 1. p. 250. s. v. φράζω: „*Das Activ hat bei den Epikern einen Aorist* πέφραδον *oder* ἐπέφραδον Il. κ, 127.“ et §. 83. 10. „*Bei den Epikern hat häufig auch der Aoristus* 2. *Act. und Med. die Reduplication, welche sodann durch alle Modos bleibt. — In einigen wenigen Fällen wurde im Indicativ noch das einfache Augment hinzugefügt: so* ἐπέφραδον.“ —

Hanc Buttmanni sententiam ut nos quoque amplectamur, quatuor iisque gravissimis adducimur rationibus, quarum prima Verborum ἔπεφνε, ἐκέκλετο al. con-

7) Quam parum sibi constent hac in re Dammius et Thierschius, apertum fit iis, quae ille sub v. φράζω, hic in *Gr. Gr.* §. 208. 13. de illis formis disputavit.

tinetur analogia, altera in eo posita est, quod Verbi activi ἐπιφράζειν ne vestigium quidem apud Homerum exstat, tertia a locorum, ubi forma ἐπέφραδον occurrit, proficiscitur sententiis, in quibus Praepositionis, cum qua copulatum esse φράζειν opinantur, vim animadvertas prorsus nullam, denique quarta ejusmodi est, ut, nihil ad eam viros doctos respexisse, magnopere miremur. Si enim ortam esse formam ἐπέφραδε ex ἐπὶ et φράζειν recte contenderent quidam viri docti, vocabulum διεπέφραδε, quod quater apud Homerum legitur, non alium admitteret explicatum, nisi ut id Aor. II. Verbi διεπιφράζειν esse statueremus. Quum autem neque apud Homerum neque apud alium quemquam scriptorum Graecorum reperiatur Verbum, quod ex διὰ et ἐπὶ Praepositionibus simul conjunctum sit, qui tam insolitam et plane absurdam Verbi formam, qualis est vocabuli διεπιφράζειν, obtrudere linguae Graecae conantur, quemadmodum rationem ejus rei reddant, ipsi videant. 8)

Haec de formis vocis Homero usitatis. Jam ut propius ad id, quod nobis propositum est, accedamus, locos ipsos, in quibus illae formae leguntur, ita tractemus, ut, quo plus quisque ad vim vocabuli, de quo nunc quaerimus, explanandam momenti facere videatur, vel quo magis de cujusque loci sententia interpretum opiniones discrepent, hoc diligentius quemque illustremus. Et initium quidem sumamus a loci explicatione ad primariam vocis significationem declarandam inprimis idonei, qui est Od. η, 49. Postquam enim Ulixes, naufragio facto, in Phaeacum insula, maritimis defatigatus calamitatibus, prope litus procubuit, Nausicaa, Alcinoi, regis Phaeacum, filia, Minervae adhortatu mane ad eundem locum, ubi ille sopore obrutus jacebat, vestimenta lavandi caussa vehiculo cum ancillis se contulit. Opere facto virgines pilae ludum exercent, cujus excitatus strepitu Ulixes, quum perterrefactae subito viri visu reginae misericordiam implorasset ac movisset, ex redeuntis domum Nausicaae voluntate ita eam subsequitur, ut, dum in urbem illa invehitur, ipse in luco Minervae sacro, qui ante urbem erat, veneraturus paulisper commoraretur. Pergenti inde in urbem Minerva occurrit, in puellae speciem mutata rogantique enixe, Alcinoi domum ut se praeiret: v. 21. ὦ τέκος, οὐκ ἄν μοι δόμον ἀνέρος ἡγήσαιο Ἀλκινόου; quasi morigerans: v. 28. τοι

8) In Stephani Thesauro Ling. Gr. tria afferuntur ejusdem compositionis verba: διεπαγγέλλομαι, διεπιφημίζω et διεπιφώσκω. Horum duo priora apud scriptores ecclesiasticos leguntur, tertium apud Dionys. Halic. Arch. Rom. 9, 63. occurrit: Ἡμέρα δ' ἤδη διεπέφωσκε. Sed recte jam G. Dindorfius in hac forma offendit; annotavit enim: Nisi ἐπέφωσκε scripsit.

γάρ ἐγώ τοι, ξεῖνε πάτερ, δόμον, ὅν με κελεύεις, δείξω: his eum verbis (v. 49.) ad regiam ducit: οὗτος δή τοι, ξεῖνε πάτερ, δόμος, ὅν με κελεύεις πεφραδέμεν. Quem orationis nexum qui consideraverit, praesertim comparatis inter se versibus 21 et 49, is nihil, opinamur, dubitabit, eam vocabulo πεφραδέμεν vindicare potestatem, quam apud Latinos Verbum habet *monstrandi* 9), sicubi id Objectum asciscit *viam* sive *iter* vel omnino Accusativum rei alicujus sensibus subjectae; cf. ut in poetarum dicendi consuetudine acquiescamus: Horat. Epist. 1, 17, 4. 1, 2, 65. (vide tamen, quae ad hunç locum annotavit Obbarius); Ovid. Metam. 3, 302. 13, 552. 14, 115. Nam eandem actionem, quam v. 28 ita significaverat Minerva, ut Verbo uteretur δεικνύναι, v. 49. denotat Verbo πεφραδέμεν, inter quod et illud vocabulum quid intercedat discriminis, suo loco explicabimus. Nunc alios subjungamus locos, in quibus eandem significationem φράζειν obtinere atque in illo, quem modo tetigimus, neminem sane fugiet.

In quo genere ponendus est inprimis locus, qui legitur Od. κ, 111. vel propterea, quod, quae ibi referuntur, aliquantum habent similitudinis cum iis, quae petenti sibi Alcinoi domum contigisse Ulixes in loco, unde exorsi sumus, narravit. Filia enim Antiphatae, regis Laestrygonum, ante oppidum aquam petitura, in socios Ulixis tempestate in Laestrygonum insulam delati incidit. Qui quum sciscitati ex puella essent, quis rex esset eorum, qui urbem incolebant, statim illa in oppidum cum iis reversa patris excelsam domum monstravit: ἡ δὲ μάλ' αὐτίκα πατρὸς ἐπέφραδεν ὑψερεφὲς δῶ. Nec dissimilis locus est Od. ο, 424. Nam Phoenissa quaedam, quae serva erat Ctesii, regis Syrorum, ab uno ex nautis, qui ad illam insulam appulerant, quo genere orta unde illuc venisset, interrogata, μάλ' αὐτίκα πατρὸς (scil. patris Eumaei, cujus haec verba sunt, quo pacto ipse infans olim a Phoenicibus raptus et Laertae venditus sit, Ulixi enarrantis) ἐπέφραδεν ὑψερεφὲς δῶ h. e. statim patris excelsam domum monstravit scil. *digito*, quemadmodum ex v. 454. sqq. elucet. Nam in litore insulae apud Phoenicum navem mercatoriam serva versabatur, quum Ctesii domum, quam verisimile est arcem quandam fuisse, nautis monstraret.

---

9) Originem hujus vocis si spectes, haec inter eam et vocabulum φράζειν intercedit mira quaedam analogia, quod quemadmodum φράζω referendum est ad φράω et cognationem quandam ac propinquitatem habet cum voc. φρήν, ita *monstro* ductam arbitramur a Verbo *monendi*, quod quin ejusdem stirpis esse statuamus atque voc. *mentis* nihil sane obstat. Cf. Doederlinus l. l. Vol. I. p. 165. qui etiam de radice MANO cogitat.

Pergamus ad locum, cujus sensum qui non satis perspexerit, is facile induci poterit, ut ibi vocem, de qua agitur, Verborum vim induere opinetur, quae significatum habeant dicendi: Od. ϑ, 68. In hoc enim loco Demodocum, caecum Phaeacum citharistam, adornata jam navi, qua domum Ulixes deduceretur, in regiam, ubi epulum abeunti hospiti datum fidium cantu et clarorum virorum laudibus exhilararet, arcessitum esse poeta refert. Eo quum venisset Demodocus, a Pontonoo praecone in medium convivarum productus in sella uni ex columnis apposita, ex qua citharam cantoris praeco suspendit, jubetur considere. Idem praeco priusquam vino ciboque citharistae animum juvaret, *ἐπέφραδε χερσὶν ἑλέσθαι* scil. *φόρμιγγα*, quae verba quidam viri docti sic interpretantur: monuit, ut manibus citharam prehenderet. Qua interpretatione nihil esse ineptius, longa demonstratione non indiget. Nam qui in eam sententiam haec verba accipiunt, immeritam poetae elegantissimo, qui nihil loquitur inepte, insulsitatis cujusdam inurunt notam. Quid enim? Cujus rei causa vocatus in regiam fuerit, num vel ignorasse citharistam credibile est vel plane oblitum esse? Si vero illum non immemorem ejus rei fuisse non possumus, quin sumamus: quid sibi volunt, qui de praeconis monitione aliqua cogitare nos jubent? An ea est illorum interpretum opinio, ut, ubi satiatus potu ciboque Demodocus fuerit, ne praeconis quippe aliis occupati negotiis ministerium exspectaret, hunc dicere voluisse statuant, sed suis ipsius manibus ut citharam de infixo columnae clavo demeret? Hanc explicationem ut damus habere, quod probari possit, ita tum demum veram ac probam esse censemus et orationis contextui aptam consentaneamque, si *ἐπέφραδε* interpretabimur: monstravit, ita ut haec sit totius loci sententia: praeco, prehensam prius Demodoci manum quam ille consedisset, ei loco, unde cithara pendebat, quo facilius hanc, ubi finitis epulis canendi tempus venisset, citharista reperiret (*ἀνέληται*), admovit. Recte igitur Scholiastes: *τὰς χεῖρας ἐπέθηκεν, ἵνα γνῷ, ἔνθα κεῖται* 10.)

Difficilior etiam est ratio loci, qui legitur Od. *τ*, 477.

Ἠ *καὶ Πηνελόπειαν ἐςέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν,*
Πεφραδέειν ἐθέλουσα φίλον πόσιν ἔνδον ἐόντα.

Fuerunt quidem, qui rem acu tetigisse sibi viderentur, si sic haec verba ex-

---

10) **Aptissima sunt quae rem illustrent, haec Nitzschii verba (l. l. P. II. p. 174.): „*Der Aöde ist nicht blos geladen, um aufzuspielen oder während Andere schmausen, zu singen, sondern er ist selbst Gast und erst, wenn das Essen vorbei ist und die Männer noch beim Becher sitzen, beginnt er seinen Gesang*: I, 150. 422. *und so unten* 483.“**

plicarent, ut vertenda dicerent: Euryclea quum indicare Penelopae vellet, conjugem ejus intus esse, ad eam se convertit. Sed tali modo qui verba reddunt, parum attendisse videntur ad locutionem: *ἐςέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν*, qua hoc dicere poetam voluisse: oculos Euryclea in Penelope defixit sive oculis Penelopen intuita est, nemo erit, quin concedat, nisi qui ad monstrandam aliquam rem oculorum nutu uti homines posse negaverit. (Cf. Plaut. Mil. glor. 2, 1, 45.: ille aspexit me, oculis mihi signum dedit, ne se appellarem.) Videntur quidem huic loci, quem in manibus habemus, explicationi repugnare illa, quae leguntur v. 480; nam qua alia mente fauces Eurycleae quam celerrime potest premere Ulixes studet, nisi ne praematuro illa indicio prodat ipsum perdatque prohibiturus? Sed licet facile concedamus, significationes illas Eurycleae ne animadverteret quum impedita divinitus Penelope esset, verbis ad id, quod volebat, aperiendum nulla mora usuram aniculam fuisse, tamen quae v. 478. verba praecedunt: *ἡ δ' οὔτ' ἀθρῆσαι δύνατ' ἀντίη, οὔτε νοῆσαι*, ea, nisi tacitam illam servae allocutionem antegressam fuisse sumamus, prorsus vana ac superflua esse nemo non intelliget. Si igitur, quid nos de his versibus sentiamus, quaeris, hoc modo actam rem esse arbitramur. Narraverat Ulixes in eo, quem antea cum Penelope contulerat, sermone, suo ipsius hospitio usum fuisse, quum in Cretam venisset, absentem ejus maritum. Cui rei ut fidem faceret quum plura protulisset argumenta, postremo se apud Thesprotas de instante regis in patriam reditu accepisse juravit. Hujus gaudio nuntii perfusa Penelope ex hospitali more pedes Ulixi abluere Eurycleam jubet. Quo officio dum fungi se parat serva, ex cicatrice, quam ille aliquando inter venandum ex apri morsu acceperat, statim regem agnoscit. Qua subita re varie commota, laetitia pariter ac dolore correpta, ita fidelissima serva perturbatur, ut non modo hospitalis officii, quod exsequi jussa fuerat, prorsus oblivisceretur, sed et ipsa repentino oppressa animi motu relaberetur et aquam, qua pedes Ulixi abluitura erat, profunderet. Quum vero ad se rediisset, haec emittit verba:

Ἦ μάτ' Ὀδυσσεύς ἐσσι, φίλον τέκος· οὐδέ σ' ἔγωγε
Πρὶν ἔγνων, πρὶν πάντα ἄνακτ' ἐμὸν ἀμφιφάασθαι.

Jam sequuntur verba, quae nos explicamus. In his quae alia possit inesse sententia, nisi haec, voluisse Eurycleam, ubi primum se paululum ex subita senili infirmitate et vehementissima animi commotione refecerit, oculorum quadam significatione cicatricem Ulixis Penelopae, quae in propinquo versabatur, monstrare, unde adventasse desideratum diu conjugem et ipsa cognosceret: quae alia igitur sententia possit in his verbis inesse, nos quidem non dispicere, ingenue fatemur. —

Ex his, quos adhuc tractavimus, locis patescere nobis videtur, Verbum φράζειν proprie ad res referri sensibus subjectas ac primariam vocis vim esse monstrandi aliquid sive digito sive alia quadam significatione. Sed est monstrandi ratio, quae quum ad res hominesve pertineat in vitae veritate versantes, tamen non manu vel nutu fit vel omnino externo aliquo signo continetur, sed in verbis consistit et oratione. Accedit igitur ad principalem illam vocabuli notionem altera, quam Latini, prosaici certe scriptores, ita exprimunt, ut Verbis utantur vel *demonstrandi* sive *commonstrandi* vel *declarandi* vel *describendi*. Hunc vocis significatum in loco inesse, qui ad versum, quos modo illustravimus, similitudinem vel propter structurae rationem proxime accedit: Od. ξ, 3., quisque concedet, qui quae in praecedentis libri vv. 404—415. leguntur, accurate perpenderit. In illis enim versibus regionem, ubi tum maxime Eumaeus versaretur, ita dilucide describentem Minervam poeta facit et quasi ante oculos Ulixi ponentem, ut, postquam is ad designatam rupem pervenit, commonstrato a Dea loco fidelissimum hominem reperiret: ᾗ οἱ Ἀθήνη πέφραδε δῖον ὑφορβὸν ἔοντα. Consimilis huic loco est Od. κ, 549.: ἀλλ' ἴομεν δὴ γάρ μοι ἐπέφραδε πότνια Κίρκη: quae verba non est verendum, quin huc non pertinere quis opinetur, quia, ad quod referatur, nihil habeat Verbum φράζειν; subintelligendum est enim ὁδόν, quod latet in antecedente Verbo ἰέναι. Cf. Nägelsbachius *in Anmerkungen z. Ilias* Exc. XVIII. p. 313—14, ubi doctissimum amicum iis miramur exemplis, quae larga manu effudit, hunc locum non adscripsisse, et Nitzschius l. l. Vol. III. p. 176., qui cur ad illustrandum hoc dicendi genus non debuerit provocare ad Od. ϑ, 68., ex iis patet, quae de hoc versu supra exposuimus. Ceterum quod omissum a poeta in loco, de quo agitur, videmus Objectum, id diserte appositum legimus Od. α, 444. Utrumque autem locum rectius intelliges, si in explanandi subsidium vocaveris locos hos: Od. κ, 508—12. coll. v. 539—40. et Od. α, 280—292.

Sed ut, quam alteram vocabuli, quod illustramus, significationem esse diximus, clarius etiam patefaciamus, addere liceat aliquot locos, quibus hoc cum illis, quos supra pertractavimus, commune est, quod vel locorum vel rerum quasdam descriptiones, quae pro veritatis quasi notis ac testimoniis sint, continent. Ex quo genere hi loci sunt: Od. τ, 249. 250. Ὣς φάτο· τῇ δ' ἔτι μᾶλλον ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο, σήματ' ἀναγνούσῃ, τά οἱ ἔμπεδα πέφραδ' Ὀδυσσεύς. cf. v. 225—248. Od. ψ, 206. coll. 199—205. Od. ω, 346. coll. 331—344.

Jam vero ad eos transeamus locos, in quibus quum propter orationis connexam seriem, tum quia societatem quandam cum iis Nominibus Substantivis ineat,

quae saepissime cum Verbis dicendi conjungantur, vocabulum φράζειν et ipsum dicendi vim ac significationem habeat necesse esse explanatores statuunt. Cujus significationis speciem hi loci prae se ferunt maxime: Od. α, 273. et Il. ϑ, 142; Il. ξ, 335. et Il. σ, 9.; Od. ζ, 147. et Od. ρ, 590., quorum quae sit ratio et voluntas, paucis videamus. Ac primum quidem nihil esse constat apud Homerum illis locutionibus frequentius, in quibus Verba εἰπεῖν, φάσϑαι, ἀγορεύειν similia additum habent Nomen Substantivum μῦϑον. Idem Objectum voc. φράζειν habet Od. α, 273. et ϑ, 142. In altero enim loco Telemachus, ut, ad concionem vocatis Achaeorum principibus, et procarum turbam ad sua discedere et matrem, si iterum nubere in animum induxerit, in patris domum redire jubeat, his verbis a Minerva incitatur: αὔριον εἰς ἀγορὴν καλέσας ἥρωας Ἀχαιούς, μῦϑον πέφραδε πᾶσι, ϑεοὶ δ' ἐπιμάρτυροι ἔστων. Eustathius ad h. l.: ὅτι τὸ πέφραδε ἀντὶ τοῦ εἰπέ. Mire Crusius: *πέφραδε ep. Aor. mit Redupl. von φράζειν, was anzeigen, andeuten, nie eigentlich sagen bedeutet, wiewohl es sich, wie hier, dazu hinneigt.*" Contra Nitzschius l. l. Vol. I. p. 183. „μῦϑον πέφραδε πᾶσιν, *offenbare, erkläre Allen deinen Entschluss, deine Gedanken.*" At neutra interpretatio prorsus placet, quamquam, ubi optio datur, Nitzschii sententia ex parte saltem praeferenda. Nam neque dicendi vim cum Eustathio neque aperiendi et patefaciendi cum Nitzschio voci φράζειν hoc loco tribuere licet, sed hoc dicit Minerva: convocatis in concionem Achaeorum primoribus, quae tua sit voluntas, demonstra. Quae Deae monitio quid sibi velit, versus 40—50. satis docent. Cf. praeterea quae nos de voc. μῦϑος usu Homerico disputavimus in Progr. schol., quod inscribitur: *Beiträge zur Hom. Synonymik* p. 9—11. — Neque aliud quidquam φράζειν significat Od. ϑ, 142., quem locum ut veterum Grammaticorum principes prope uno consensu expungerent, factum esse Nitzschius opinatur inepta locutione πέφραδε μῦϑον. Ineptam autem hanc locutionem dicit et propter absonam jam antiquis interpretibus visam Verbi φράζειν significationem, et quia voc. μῦϑος majorem vim habere censet, quam quae accommodata sit ad hujus loci sententiam. 11) Sed dupliciter vir doct. erraverit: primum, quod neque ad praegressos vv. 130—140., quibus, quae in mente haberet, diserte Lao-

11) Rejicit hunc versum ex suae editionis textu Bekkerus, agnovit Hermannus. Priores Odysseae editiones, ut Clarkiana, pro πέφραδε μῦϑον habent πέφρ. μύϑῳ, quam dictionem alienissimam esse ab Homeri consuetudine recte contendit Nitzschius. Quae lectio quemadmodum orta sit, non difficile videbitur ad explicandum respicientibus ejusmodi locutiones, quales sunt ἀμείβεσϑαι μύϑῳ, ἐνίπτειν μύϑῳ simil.

damas elocutus est, neque ad v. 141., quo, quae differentia inter vocabula ἔπος et μῦθος intercedat, apertissimum fit, satis videtur respexisse. Alterum Nitzschii errorem qua ratione tollere conatus sit Lehrsius, supra commemoravimus; sed tantum abest, ut in hujus viri doctissimi, qui abfuisse v. 142. in melioribus Mss. pro certo atque explorato habet, discedamus partes, ut satis id probabili argumento demonstrari posse pernegemus. Nobis igitur genuinus hic versus esse videtur atque in eorum locorum genere referendus, in quibus φράζειν vim obtinet declarandi vel explicandi. Melius videntur rem gerere, qui ad refutandam Aristarchi opinionem locis utuntur, qualis est Il. κ, 137. Cujus rei ducem et signiferum habent Schol. Lips., qui ad ea, quae hoc loco leguntur: ἀλλ' ἴομεν· κείνους δὲ κιχησόμεθα πρὸ πυλάων ἐν φυλάκεσσ' ἵνα γάρ σφιν ἐπέφραδον ἠγερέεσθαι· haec annotat: φησὶ γοῦν ἐνταῦθα, ἵνα γάρ σφιν ἐπέφραδον ἠγερέεσθαι ἀντὶ τοῦ ἐκεῖ αὐτοῖς εἶπον συναχθῆναι. Sed cave fidem his explanatoribus habeas. Nam in summo discrimine quum res Achaeorum versaretur, dilucida atque accurata opus fuit loci, quo principes eorum convenirent, demonstratione ac descriptione. Qui vero in comprobandi societatem propter verba ἠγερέεσθαι ἀνώγει trahi posse videatur locus, Od. β. 385., is nullius ad rem adjuvandam momenti est propterea, quod ibi vix quidquam dicere aut voluit aut potuit poeta aliud, nisi circumiisse Minervam futuros Telemachi comites eosque ad portum convenire quam celerrime et occultissime potuerit jussisse.

Ne quis autem crimini nobis vertat, quod eos de industria praeterierimus locos, quorum sensus ne admittat quidem aliam ullam Verbi φράζειν explicationem nisi qua dicendi vis huic vocabulo vindicetur: age, proferamus, quae leguntur Od. ζ, 47.: Γένθ' ἀπέβη λευκῶπις, ἐπεὶ διεπέφραδε κούρῃ. Ad ea verba quum in Schol. annotetur: διεσήμανε, tamen Nägelsbachius l. l. p. 319. haec habet: „ἐπεὶ διεπέφραδε κούρῃ scil. πάντα; *vergl.* Il. υ, 340. *Dies will aber der Dichter nicht ausdrücken; er sagt also blos: nachdem sie zu dem Mädchen ausgeredet hatte.*" At consideres, quaesumus, nobiscum actionem, cujus primus quasi actus his, quae tractamus, verbis terminatur. Minerva enim ejecto tempestatibus in Phaeacum insulam Ulixi subventura Nausicaam per quietem jubet ad litus insulae vestimenta lavatum ferre. Cujus rei potestatem quo pacto ab Alcinoo patre nancisceretur quum puellam Dea edocuisset, jam quemadmodum data ejus rei facultate, quicquid opus ad lavationem faciendam esset, scite perageret, accurate demonstrat ac praecipit. Ad hanc commonstrandi atque praefiniendi rationem referendum esse hunc Verbi φράζειν usum ex accurata vers. 47. et 48.

comparatione egregie elucebit. Nec minorem esse in loco ab Nägelsbachio allato et Od. ρ, 590. vocabuli vim, orationis contextus docet.

Agmen quasi locorum, de quibus adhuc disputavimus, claudant loci tres: σ, 9. λ, 795, (coll. π, 36 et 51.) ξ, 335., qui hoc habent inter se similitudinis, quod in iis *indicandi* significationem φράζειν habere, extra omnem videtur positum esse dubitationem. At vero duos priores locos qui diligenter excusserit, in iis vocabulo φράζειν eandem significationem tribuet, quam id habere demonstravimus Od. ζ, 147. Nam hoc dicit Achilles: ut quondam mater mihi plane demonstravit. Reliquus est igitur locus Il. ξ, 335. in quo uno, quia de re quadam agitur, quae, quum propter verecundiam ac pudorem ab hominum oculis removenda esset, verendum erat ne proditoris alicujus indicio manifesta fieret, indicandi significatum voci concedere non esset, cur haesitaremus, nisi haec interpretatio quamvis sit ad sensum loci idonea, tamen poetae dicendi consuetudini vehementer repugnaret. Qua re ne in hujus quidem loci explicatione recedere ab usu Homerico licet. 12)

Sed haec hactenus. Nam ad criticum genus quae spectant, quae haud multa quidem sunt, sed magnis involuta difficultatibus, pertractare nos vetant quos vel sic transivimus statuti hujusmodi scriptiunculae termini. Itaque veniendum est ad id, quod hanc nobis scribendi opportunitatem fecit. Instituetur enim crastino die hora XI. antem. in Auditorio Gymnasii nostri majore actus solemnis, quo novi anni initium ex vetere consuetudine et instituto schola nostra celebrabit. In qua solemnitate tres classis secundae discipuli, omnes ex nostra civitate oriundi, suggestum ascendent orandique periculum facient. Prodibunt autem oratores hi adolescentes: primum

Carolus Gerhardt Latina oratione exponet de sententia Liviana: *republica Romana nullam unquam nec majorem nec sanctiorem nec bonis exemplis ditiorem fuisse*; tum

Georgius Schlick *de vita Caroli XII. a Voltario descripta* Francogallice disseret; postremo

Richardus Lindner *Esaiae Tegneri*, Episcopi Suecici nuperrime defuncti, laudem poeticam patrio sermone praedicabit.

His igitur solemnibus ut frequentia sua decus afferant et ornamentum **Inspectores** Gymnasii **Gravissimi** et omnes, quotquot habet haec civitas, **Proceres** ceterique literarum **Fautores**, ea, qua decet, observantia etiam atque etiam rogamus.

Gerae, d. III. Jan. a. MDCCCXLVII.

---

12) Quod veteres Scholiastae et Lexicographi voc. φράζειν ita explicant, ut idem significare dicant, quod διασημαίνειν, in eo vehementer errant. Nam excepto fortasse loco uno σημαίνειν apud Homerum est ejus, qui aliis, quod fieri velit, imperat, qua voluntatis notione hoc vocabulum differt a Verbo δεικνύναι, inter quod et φράζειν hoc intercedit discriminis, ut illud a demonstrandi vel describendi notione sit alienissimum.